

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

**Prot. n. 2696/72 CG**

*Nullitatis matrimonii*

(X – Y)

*Incidentis: De novae causae propositione*

**DECRETUM**

In causa de qua supra;

Viso decreto a S.Romana Rota die 7 iunii 1977 lato, quo confirmatur praecedens decisio Rotalis novam causae propositionem concedens;

Attenta et mature perpensa instantia diei 14 novembris 1977, qua patronus partis actricis – vi can. 1603, §1, 5° – recursum interposuit ad hoc Supremum Tribunal adversus praedictum decretum S.Romanae Rotae, subordinate proponens circa idem decretum querelam nullitatis ob defectum rationum decidendi (can. 1894, 2°), sin minus restitutionem in integrum ob “legis praescriptum evidenter neglectum” (can. 1905, §2, 4°);

Considerata quoque ulteriori instantia eiusdem patroni partis actricis diei 26 novembris 1977, qua restitutio in integrum postulator etiam ob “postea detecta documenta quae facta nova et contrariam decisionem exigentia peremptorie probent” (can. 1905, §2, 2°);

Audito patrono ex officio deputato ad deferenda iura partis conventae;

Perpenso quod ad normam can. 1603, §1, 5°, Signatura Apostolica videt “de recursibus adversus sententias rotales in causis matrimonialibus quas ad novum examen Sacra Rota admittere renuit”, non vero quas idem Apostolicum Tribunal ad novum examen admisit;

Cum decretum impugnatum, contra assertionem recurrentis, appareat motivis decidendi sufficienter suffultum, cumque nec constet de aliquo praescripto legis in quo eadem decisio evidenter offendat, nec de tali novitate quae vim peremptoriam argumentis tribuat;

Perlecto voto Promotoris Iustitiae deputati;

IURISPRUDENTIA: PROT. N. 2696/72 CG

In Congressu, coram infrascripto Cardinali Praefecto, die 3 ianuarii 1978 habito,

**d e c r e v i t:**

**recursum a limine reiciendum esse**

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 7 ianuarii 1978.

Pericles Card. FELICI, *Praefectus*

+ Aurelius SABATTANI, *Secretarius*